

1701.

1. Beierus, Arrianus : De amuletis eorum vanis lictis
aut salutari
2. Beierus, Arrianus : Re eo, quod justum est, circa val-
nera & herosum hominum.
3. Friesen, Ioh. Burkhardt : De usorium lata
4. Friesen, Ioh. Burkhardt : De iure gratiae . . .
5. Friesen, Ioh. Burkhardt : De modis acquirendi, aupto
licitis, illicitis ac in differentibus .
6. Friesen, Ioh. Burkhardt : De relictis dormientibus .
7. Hebenstet, Johann Paulus : De canonicis, ut dicuntur
valgo, apostolicis ..
8. Muellerus, Dr. Jacob : De moralis lata reservatio-
num mentalium injumentis .
9. Muellerus, Dr. Jacob : De praesumptionibus moralibus .
10. Muellerus, Philippus : Dissertationem : De iure Ne
i homines, a . . . parente suo . . . Disquisitionis deum
expositam . . . Dr. nro subject. Rec. 1732.



1709.

11. Schroeterus, Iu. Christianus: De his, quae nobis mortis
acquisiuntur.

12. Schroeterus, Iu. Christianus: Ad iuris. Dissertationem
Georgii Lebrecht Willeii invicatio

13. Neugtius, Dr. Philipp: De mercatore falso censu
proficiente.

14. Neugtius, Dr. Philippus, Facultatis iuri Doctor Decanus:
Programma, lectioni cursoriae Henrici Heribringii
... praemissum.

15. Neugtius, Dr. Philipp: Precoquita iuri

16. Neugtius, Dr. Philippus, Facultatis iuri Doctor Decanus:
Programma, lectioni auspicali Dr. Friderici
Hortelii. ... praemissum.

17. Treutlerus, Dr. Philippus: De excursione penitentiaria
... adjectum est opusculum R. R. T. Bünnemanni:
De studioris baccantibus tumultibus que.

1701.

18. Wildvogelius, Christianus, Palliijuris juris. . . Decanus : De iuris portusorio ad l. 14 pr. ff. d. appellat.

Programma in ang. / electioni cursoriae Christiani Christopori
Viro belii praemissum)

19. Wildvogelius, Christianus : De investiture renovatione
et ejus non petitiae pena.

20. 6. 21. Wildvogelius, Christianus : De eo, quod justam
est circa concesiones finitimas. 3 Iuspl.

22. Wildvogelius, Christianus : De excoletis et potentibus

23. Wildvogelius, Christianus : De secreto iudicio ad l. 14.

C. d. testb. Programma in ang. / electioni cursoriae
Christiani Michaelis praemissum)

24. Wildvogelius, Christianus : De iure seculi.

649.

8751.

DISSE^MR
TATI³²
O³
~~RESERVAT~~
TIONVM MENTALIVM
IN IVRAMENTIS

QVAM
PRÆSIDE
VIRO

CONSULTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
DN. JO. JACOB. MULLERO,
JVR. VTR. D. LOG. PROFESSO-
RE ORDIN. FAMIGERATISSIMO

Dn. Patrono & Preceptor^e suo multis nominibus
venerando

publico Eruditorum examini subjicit

AVTOR ET RESPONDENS

JOHANN. HEINR. HENTZOLD
Lohma Thuring.

IN AUDITORIO PHILOSOPHORVM

ad D. 19. MART. MDCCI.

IENÆ, Litteris Müllerianis.

V I R O
Magnifico atque Excellentissimo
DN. JOANNI ANDREÆ
R O T H I O,
JCto celeberrimo, Consiliario Gleichenſi
& Hatzfeldensi & Cameræ Directori splen-
didissimo, ut & Consistorii Prä-
ſidi gravissimo &c.

Domino atque Patrono suo iugi pietate & obfer-
vantia devenerando,

Salutem ac incolumitatem!



I quidquam est, quod cum D E O
commune habent, quos fortuna ma-
gnitudo supra aliorum sortem
evevit, illud certè est, bene aliis
facere. Qua de re adeò persuasa
fuit Illustrissima quondam Comes

ac

ac Domina, DN. ELEONORA CATHARINA, Comes de Schwartzburg & Honstein,
Domina Arnstadi Eccl. Eccl. ut munificentiam suam non vita saltim finibus stare voluerit, sed ad
ditus ad eam post fata quoque & beatissimum obitum eis esset, qui bonis literis operam darent.
Esse vero idem ad tantum gratia magnitudinem
ullo testimonio accedere se posse nequeunt sperare,
tamen minimè memores subjectissimarum par-
tium fore se censem, si eam intrataciti pectoris pe-
netralia continerent aut contractam vel solum
inde ingentem obligationem non palam proficie-
rentur, editisque speciminibus signarent & testa-
tum facerent, mandato præscriptum ad id excitati
beatissima Heroina. *Enim verò cùm Tu, VIR*
EXCELLENTISSIME Musas illas in-
trōspicias, quales me&sint ut ignorares amplius,
non esse committendum existimavi. Itaque sa-
ctum, ut audere potuerim, oculis Tuis pagellas
has subjecere, Tuque consecrare tutela, non ipsa-
rum aut argumenti, sed ejus solum fiducia, quod
nunquam hactenus mentem repudiaveris, que

optima

optima spectaverit, & ad ea rectis saltim studiis
contenderit. Quo nomine cum mihi relictum
unice Tibi me probare, spero non fore, ut omni-
nō Tibi displiceat iste conatus meus. Ego DE-
VM precabor, ut Te quām diutissime servet,
ne bono patria nostra & studiorum nostrorum
quicquam deinceps etiam deesse videatur. Da-
bam Jenae ē museo d. 18. Mart. 1701.

Nobilissimæ Tuæ Excellentiaæ

devotissimus

Joh. Heinr. Hentzold,
S.S. Theol. Stud.



J. J.
DISSERTATIO
DE
*Moralitate Reservationum
Mentalium in Jura-
mentis.*

Jesuitæ, quamvis ob malas suas artes & nefaria dogmata merito piis omnibus detestandi sint, justamque id propter multorum vel ex ipso Pontificiorum cœtu censuram meruerint, ut ex insignibus scriptis Alfonsi de Vargas (süb cujus nomine quibusdam latere videtur Scioppius, Comes de Clara Valle, acerrimus alioqui Papicola) in relatione ad Reges & Principes de stratagematibus & sophismatis Jesuitarum; Job. Mariane, Hispaniæ, de morbis societatis Jesuiticæ; Petri Jarrichii de criminibus & pœnis Jesuitarum (a) aliorumque evidens est; tamen vel hoc in primis nomine reprehendendi iniquitatisque postulandi sunt,

A

quod

quod (b) doceant, posse cum, qui incipit, v.g. dicere JVRO, interponere submissa restrictionem mentalem, ME HODIE; deinde addere alia voce, NON FECISSE HOC VEL ILLVD; Aut: Posse à Judice interrogatum, an hoc vel illud viderit, v.g. quod alter alterum interemerit, respondere, sé non vidisse, retentis interim in mente verbis; ut tibi dicam; neque eo in casu ultimum committi perjurium aut mendacium.

(4) Ludov, Montaltius, Gallus, in literis provincialibus de Mórali & Politica Jesuitarum disciplina. Wilhelm, Wendrockius, Theologus Salisburiensis, Notis Theolog. in Montaltii epistolas. (b) Navarthus c. 12. n. 8, 9 & 10. Manual. sui moral. & commentar. in cap. Humanæ artes. 22. qu. 5. Sylvester verb. Jurament. 3. qu. 2. & Jurament. 4. qu. 7. Angelus de Clavasio verb. Juram. 5. n. 9. Adrianus in 4. qu. de Sigill. confessionis. Major in 4. d. 15. qu. 18. Toletus lib. 4. c. 21. & lib. 5. c. 58. Gregor. de Valentia disp. 5. qu. 13. p. 2. & disp. 6. qu. 7. p. 4. Leonard. Lessius de Justit. & Jur. lib. 2. c. 42. dubitat. IX. n. 47. p. 626. Filiutius Quest. Moral. tr. 21. Thomas Sanchez Op. Moral. lib. 3. c. 6. Philarchus Tom. 1. de offic. Sacerd. & multi alii.

Fortissimum vero hujus pernitosi dogmatis munimentum inde petunt, quod (a) omnis mentis reservatio sit propositio quedam mixta, que partim interna ac mentali, partim externa & exterius prolatâ oratione constat: ad cuius verum & perfectum sensum constituendum sicuti neutra pars componens sine altera satis est, ita nec mendacium committere ac peccare, qui solam externam orationem, altera in mente retenta & subintellecta, profert, cum quantum in se est, hac sua oratione non quod falsum, sed quod verum est, significare intendat. Néque obstat, quod alter inde decipiatur, quia non directe intendit

LOND

dis

§§ (3) §§

dis decipere hac tua oratione, sed saltim tegere tuam intentionem, ne ipse eam cum tuo incommodo cognoscat; Quod autem ipse falsum judicium sibi formet, ad hoc solum permissive te habes, quia jure tuo uteris.

(a) Vid. præ ceteris Lessius de Justit. & Jur. cit. l.

At enim quam lubricum & ab omni sensu abhorrens præceptisque Artis logicæ genuinis oppido adversum hoc fundamentum eidemque superstructum de Reservationibus mentalibus dogma sit, peculiari dissertatione nunc docebimus. Faxit Trinunum Numen, ut omnia procedant feliciter.

§. I.

 Vamvis de *Restrictionibus mentalibus* opinonis absurditas & improbitas ab uno quolibet, qui modo sana ratione gaudet, facile pvideri possit, atque ab *ipsis Pontificiis* quibusdam, nominatim (a) Dominic. à Soto, (b) Petro de Arragon, (c) Cajetano, (d) Azorio, (e) Laymanno hujusmodi imposturæ dudum detectæ ac improbatæ fuerint, tamen, ut eo magis scandalosum hocce, atque ad tollenda cujuscunque generis pacta, promissa, fœdera, contractus, juramenta, omnemque inter homines fidem societatisque humanæ vinculum efficacissimum dogma aliorum incurat oculos, nostrum nunc erit illud breviter resellere.

(a) de Justit. & Jur. lib. V. qu. 6. art. 2. (b) de Just. & Jur. in 22. Thom. qu. 2. art. 1. (c) in Thom. 22. de Just. & Jur. qu. 110. art. 1. & 3. (d) Instit. Moral. lib. 2. c. 4. (e) Theolog. Moral. Tom. 2. f. lib. IV. tr. 3. c. 13; n. 7. p. 85. His assentitur Covarruvias, variar. resolution. lib. 4. c. 2.

A 2

§. II.

Præsupponimus autem hic statim in principio, quod defensores harum restrictionum aut subauditionum taciturnum omne mendacium, etiam & officiosum, ut sua natura turpe, cum (a) Augustino, improbent, rati, ut etiam si vel levissimo mendacio omnes in æternum damnavi ex diaboli fauibus ac inferno redimi possent, nullatenus tamen eo utendum foret. Audiamus ea de re (b) Scholasticorum antesignanum & Patriarcham, Petrum Lombardum, sententiarum Magistrum: Sciendum est, ait, tria esse genera mendaciorum: Sunt enim mendacia quadam pro salute vel commodo alicujus non malitia sed benignitate dicta, qualiter obstetrices mentite sunt & Rabab. Est & aliud mendacii genus, quod fit joco, quod non fallit. Scit enim cui dicitur, causa joci dici, & haec duo genera mendaciorum non sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis vero non convenit mentiri, nec etiam pro temporali vita alicujus, ne pro corpore alterius animam suam occidant. Licet autem eis, verum tacere, sed non falsum dicere: ut si quis non vult hominem ad mortem prodere, verum taceat, sed non falsum dicat. Tertium vero genus mendacii est, quod ex malignitate & duplicitate procedit, cunctis valde cavendum. His videtur innui, mendacia illa, que sunt joco vel pro salute alicujus imperfectis esse venialia peccata, perfectis vero illud, quod pro commodo alterius dicitur esse dannabile, quod etiam de mendacio judicari potest, precipue si iteretur. Et brevibus interjectis: Quisque, ait, aliquod genus mendacij, quod peccatum non sit, putaverit; decipit seipsum turpiter: cum honestum esse deceptorem aliorum arbitretur. Omne ergo genus mendacii summopere fuge, quia omne mendacium non est à DEO.

(a) In

(a) In Enchirid. suo c. 18 & in libro contra mendacium ad Contentum c. 12. (b) 3. Sententiarum lib. dist. 38. §. 1. & ibi comment. Scotus, Richardus de media villa, Alex. Alensis, Durand. à S. Porciano, Bonaventura, Biel, aliquo.

§. III.

At enim, ut *νατ' αὐθεντος* respondeamus: Si illis ipsis, contra quos hic disputamus, Scholasticis, omne mendacii genus, etiam officiosum, in vitio est, nulloque in casu, ne eo quidem, quod vita innocentis aut par aliquid aliter servari, alterque ab improbi facinoris consummatione aliter quam falsiloquio averti nequit, eo utendum est, non potest non reservatio mentalis turpis & illicita esse, utpote quæ hoc ipso, quod, ceu modo dicimus, humanæ societatis vinculum rumpit omnique fidei directe contraria est, vel quolibet mendacio pejor atque deterior habetur, juxta illud: *Cui non licet, quod minus est, ei nec quod majus est licebit.* Confirmat hæc, quæ jam diximus, Collegii Majoris in Academia Lovaniensi Præses & Professor, qui variis argumentis vanitatem restrictionum mentalium ostensuros, inter alia etiam hoc adversus earum patronos uititur. Atque ex hac, ait, deductione argumenti quinti emergit sextum, in hoc consistens, quod proferens scienter enunciationem falsam, sola mentali reservatione verificabilem, mentiatur. Cum ergo omne mendacium, patentibus ultra ipsis restrictionum patronis, sit illicitum; consequarum omnino est, prolatorem enunciationis false, sola mentali reservatione verificabilis, illicite agere. Assumptum probatur in primis, auctoritate Patris Lessii, qui valens excusare multos veteres tractatores mendacio in speciem salutis patrocinantes, ut Origenem, abbatem Joseph, Cassanum,

Chrysostomum, Hieronymum, Theodoreum, Theophylactum, Oecumenium & plerosque Gracos Patres: Putarem, inquit, plerosque ex predictis Patribus excusari posse, quod Mendacium vocent etiam orationem alio sensu dictam, vel habentem tacitam mentis limitationem, ita ut alter aliud intelligat & decipiatur. Ex confessione igitur hujus magni restrictionum mentalium Patroni plerique illorum Patrum vocarunt mendacia orationes tacita mentis limitatione restrictas. Si autem ea vocarunt mendacia, procul dubio censuerunt, eas revera esse mendacia, alioquin fatendum foret, eos in hoc ipso fuisse mentitos, quod mendacia dixerint, que mendacia non esse revera censuerint.

S. IV.

Quod autem restrictiones istae, ceu dictum, quolibet mendacio multo deteriores & pejores sint, inde pater, quod in quibusdam casibus adversus aliquos falsiloquio uti non omnino illicitum sit: veluti cum hostis pro salute patriæ fallendus, aut ab homine occidendo grassator avertendus &c. id quod præter (a) Quintilianum & (b) Grotium etiam (c) Eustratio, Metropolitæ Nicæensi, celeberrimo Aristotelis Paraphrastæ, notatum, qui ita differit: οὐ δὲ βελτίωνθε τοι εἰς ἀνάγυντος οὐ αἱρέσεων εἴπεν, εἴδει δο ποτε τὸν ὄρθρον βελτίωνθεν, καὶ τῷ αὐτῷ τῷ φεύδεις βελτίωνθεν, οὐ θεῖτης φεύδεις πόσις τινα, οὐ εἰσθέγη ὅντα, οὐα σφαλη ἀντον, οὐ φίλον οὐ ἐκποίην αὐτον διο πάντα, καὶ τάτου τοι φεύδειγυνατο εἰ τοις ἴσορχαις ποταδ. Qui recte consultat, non utique & verum dicit. Fieri enim potest, ut quis recte consultans, hoc ipsum consultet, quo pacto de industria mentiatur, aut hosti, ut eum fallat, aut amico, ut eum à malo liberet: quarum rerum exemplis plene sunt historie.

At

At reservationibus mentalibus uti nullo jure licet: periret enim sic omnis inter homines fides, frustrarentur fine suo omnes necessariae in vita communi institutae actiones, manerent quæque detestanda scelera ab hominibus commis- sa impunita, eademque opera & facilitate, ut recte contra ejusmodi impostores observat (e) Grotius, quâ aliquid affirmari, idem & negari posset, & quâ aliquid negari, idem & affirmari posset. Bene igitur Azorius: *Nihil tam falsum esse potest, quod non queat ab omni mendacio liberari, se aliquid arbitratu nostro mente tacitum retineamus.*

(a) lib. 2. Institut. Orator. c. 18. (b) de jur. b. & p. lib. 3. c. 1. (c)
VI. Nicomach. (d) Vid. Rivetus in explicat. decalog. p. 397.
(e) cit. l. §. 17. n. 3. (f) Institut. Moral. lib. 2. c. 4. Vid. quoque
Ludovic. Montaltius epistol. provinc. 9.

§. V.

Audiamus iterum ea de re graviter non minus quam facunde contra eundem mentalium restrictionum usum, differentem modo laudatum Præsidem: *Adversatur ideo summopere societati humana adeoque ipsi humane nature, qua eam societatem naturaliter adpetit, quia homo, inquit Divus Thomas, est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestibus. In dispersione gentium, post Babylonianam confusione lingvarum illi homines sibi invicem cohererunt, qui se ejusdem idiomatici esse compererunt, quia ii soli mutuas mentes intimare invicem potuerunt, sine qua intimatione coalescere in unam societatem nequierunt. Vnde Augustinus: Si duo, inquit, sibimet invicem fiant obviam, neque pretereire,*

rire, sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quorum neuter norit lingvam alterius, facilius sibi animalia muta, etiam diversi generis, quam illi, cum sint homines ambo, sociantur. Quando enim quæ sentiunt inter se communicare non possunt propter solam lingvarum diversitatem, nihil prodest ad consociandos homines tanta similitudo natura, ita ut lubentius, homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno. Alienus porro homini, quantum ad hoc propositum, est omnis homo, cuius idioma non aperit socio mentem. Ac per hoc alienus censeri debet, quo aliquid mente occultatum reservat, unde sensus integri sermonis pendet; perinde ac is, qui vocabulis notis ignotum admiscet, ex quo provenit, ut mens loquentis audientem lateat. Et paucis interjectis: Quenam obsecro, societas coalescere inter eos potest, quorum alter alteri pro affirmatione negationem, & vice versa obtrusferit; Et tamen reservationum mentalium patroni nunquam possunt rationem reddere, cur minus reservari mentaliter queant affectiones copule enunciative, quam extremonrum. Quod si etiam ha reservari licite queant, licite profecto & affirmations pro negationibus & ha vicissim pro illis ingeri poterunt.

§. VI.

Equidem adversa sententiae patroni improbitatem hujusmodi restrictionum excusare conantur restrictione licentiae ad certos casus: quasi scilicet, si (1) quis non juridice interrogatus a judice, (2) per interrogationem ipse injuria inferatur, licitum tum esse ipse etiam sub juramento absolute negare verbis, quod ipse novit verum esse. At enim quod primam conditionem attinet, sicuti hujusmodi judex non juridice interrogans, præter hoc quod ab ipsis finitur, in rerum natura nec est nec esse potest, ita frustra eo in

in casu, qui non datur nec dari potest, licitus pronuntiatur reservationum mentalium usus; Et posito vel maxime, dari posse hujusmodi judicem, qualem illi describunt, judicis tamen error & vitium nequaquam derogare posset auctoritati judicii; Adhac res esset periculi plenissima, si reo permitteretur libertas judicandi, num juridice sit interrogatus nec ne? Denique si vel maxime à judice, non juridice interrogante, reo non imponi posset obligatio, inde tamen nequaquam inferre licet, judici ita à reo mentali reservatione illudi posse, sed hoc solum, reum eò in casu posse respondendi necessitatem omnino detrectare, quod & altero quoque in casu procedit quo interrogatus injuria afficitur, sive jam illa detrectatio fiat tacendo, sive protestando, sive adpellando ad superiorem judicem.

§. VII.

Atque ex hac tenus dictis satis constare putamus, quanto per omnis veritatis ac fidei amantibus detestandae sint reservationes mentales, quas Jesuita fœde plane & diabolice ad torquendum in contrarium apertorum verborum sensum & ad illudendos homines, invenerunt. (a) Longe magis autem detestandæ sunt, quoties quis iis circa illas assertiones, que non nisi jurejurando confirmanda, & ubi ad verum dicendum in proferente obligatio erat, utitur. Cum duplex hic contingat illusio, & Dei & hominis, jusque quod ex ipso juramento, tanquam ex promisso aut contractu, qui simplicissime intelligi debet, utriusque eorum queritur, turpiter violatur. (b) Neque enim hic homo aut persona sola, cui juratur respicienda est, sed is, qui juratur, Deus, qui semper ad obligationem in jurante pariendam sufficit, adeo quidem ut si maxime per-

B

sonæ

sonæ cui juratum, jus deficeret, cum Deo tamen adhuc negotium esset, qui verba in jurejurando simplicissime & ita accipit, quemadmodum alter, ad quem illa directa sunt, intelligit: (c) qua de causa juramentum etiam voti nomine nuncupatur, quateuus tam in juramento quam voto cultus Dei intenditur, & ex divino jure aliqua obligatio producitur, licet in eo à se invicem differant, quod in voto cultus iste intendatur per promissionem, nequaquam autem in juramento, cuiusque quod tantum adhibetur ad promissionem confirmandam.

(a) Pufendorffius de Jur. Nat. & Gent. lib. 4, c. I, §. 14. (b) Grot. de Jur. B. & P. lib. 2, c. 13, §. 15, n. 1. (c) Idem cit. G. 2, & Zigler. in Not.

§. VIII.

Sed ad hæc restius pernoscenda proderit nunc *naturam jurisjurandi*, ut talis seu *humani*, proprius contueri. (a) *Est enim illud nihil aliud quam affirmatio religiosa*, que fit *DEO teste ac vindice*, sive jam illa affirmatio sit de re praeterita, sive de futura, quarum illa juramenti assertori, hæc promissori nomine nuncupari solet. Studio dixi: *jurisjurandi ut talis seu humani*. Neque enim hæc, quam modo dedimus, definitio est juramenti ut sic & in genere sed ut talis & ejus saltim, quod a creatura rationali provenit. *Vt hinc fallant & fallantur*, quotquot a definitione juramenti, ut talis & spectati in ordine ad creaturam rationalem, argumentantes ad juramentum divinum, ex eo quod juramentum sit cultus latræ & assertio Dei religiosa, juransque ultiorem persidia a superiori deposita aliusque requisitis, non nisi ad conceptum materialem jurantis creaturæ pertinentibus, corundemque ex parte

XRO



§ (n) §

Ipsius DEI defectu, DEO juramentum proprie tale dene-
gant; cum homo, quando jurat, per alium se superiorem,
Deus autem per seipsum suamque essentiam & immutabili-
lem juret iustitiam & veritatem. Quocirca (c) quan-
do & quoties homo jurat, statim ex ipsius jurejurando du-
plex consurgit obligatio, altera ad hominem, cui juratum
ut partem, vi cuius is qui juravit tenetur ad id, quod jura-
vit, praestandum; altera ad DEVUM, per quem juratum ut
testem ac vindicem, vi cuius ultro ad pœnam a Deo ex-
spectandam, si fallat, se obligavit. Quæ posterior obligatio
perpetua est, licet altera illa, quæ est ad hominem, certis
ex causis interdum cessare possit.

(a) Cicero 3. offic. vid. quoque Setserus de jurejurando lib. 1. c. 1.
n. 12. &c. seqq. (b) è quibus Laymannus Theolog. Moral. lib.
4. tr. 3. c. 12. n. 1. (c) Grot. de Jur. B. ac. P. lib. 2. c.
13. §. 14.

§. IX.

Confirmat hanc nostram sententiam de gemina in-
jurante obligatione præ ceteris restrictionum mentalium
propugnator acerrimus, Leon. Lessius *Notandum est*, ait, in
juramento binas intervenire obligationes erga eum, in cuius
favorem præstatur, quarum altera præcisè oritur ex
promissione, altera ex ipso juramento. Ex promis-
sione oritur quædam obligatio saltim fidelitatis aut ve-
ritatis, cui si non satisfacias, censuris perfidus aut mendax.
Verum si promissio per injuriam extorta est, facile potest hac
obligatio elidi ab eo, qui injuriam passus est; ita ut ne
quidem ex decencia aut honestate teneatur ei satisfacere,
quando est solitaria: potest enim ratione injuria seipsum re-
stituere in integrum, vel utique quasi compensatione, non solvendo
promissum, cum solum agatur de commodo promissarii, qui per
injuriam promissione extortis. Ne autem promissor id facere pos-
sit

sit & sic eludere promissarium, exigi solet juramentum, quo Deus vocatur in testem, nimis ut puniat promissorem, nisi prefecit quod promisit, & ita promissor reverentia & timore DEI moveatur ad solvendum; sive ex iuramento nascitur nova obligatio erga promissarium ad praestandum promissum in ipsis commodum. Ita Deus adducitur in testimoniis promissionis & solutionis future, ut nisi eam præstes, censearis Deo irreverens & injurius, ut qui illum feceris testimoniū falsi. Hec ille: que quomodo ipsius dogmati de reservationibus mentalibus congruere possint, non video.

(a) de Just. & Jur. Lib. 2. c. 42. dubitat, n. 63.

§. X.

Atque ex his insimul adparet, quam iniqua sit corum opinio (a) qui cum (b) Cicerone nullum committi putant perjurium, si prædonibus pactum pro capite pretium non adferatur, ne quidem si juratum sit, eo quod prædo non sit ex perduellium numero definitus, sed communis omnium hostis, cum quo nec fides esse debeat, nec iurandum commune. Quod ex consimili ratione etiam ad Tyrannum applicari solet, utpote cum quo ἀδεν της ἐστιν ἔνοχος, ut verba Brutii apud (c) Appianum leguntur.

(a) Alber. Gentilis de Jur. Belli lib. 1. c. 4. Bodinus de Republ. lib. 1. c. 1. & lib. 5. c. 6. (b) de off. 3. (c) Bell. civil. 2.

§. XI.

At enim (a) si vel maxime personæ, cui juratur, jus hic deficeret, nullaque obligatio inde ex juramento ipsi prædoni accresceret, nihilominus tamen Deo obligaretur stare jurejurando, utpote cui, ut supra dictum, semper in jurantem ex jurejurando jus est, vi cuius præstare tenetur, quod

35 (3) 55

quod promisit, nisi Deum iratum & vindicem in semetipsum experiri velit. Est enim iuramentum p̄droni factum actus mixtus, qui magis voluntarius, quam invitus est, cum (b) consensus hic, quo incertam pecunia summa p̄droni pro vita redimenda solvendam consensit, non fuerit conditionalis, sed absolutus spectatis temporis ac loci circumstantiis. Neque id, quod Cicero sumit verum est : nullam esse cum p̄dono juris societatem. Cum depositum ex ipso gentium jure (h. e. naturæ jure) reddendum latroni, si dominus non adpareat, ut recte (c) Tryphonino, Icto, responsum est. Neque sufficit hic cum (d) Lessio aliisque momentanea jurantis solutio, ita ut statim ei, quod solutum, liceat recuperare. Cum (e) verba in juramento, quoad Deum simplicissime & cum effetu sint intelligenda, eoque qui accessit ad p̄donem & solutam pecunia summatam statim abstulit, non satisfacit juramento de solutione pecuniae; sicuti nec is, qui rediuit clam ad hostem iterumque abiit, ut recte à Senatu Romano judicatum est. (f) Quantò religiosus fuit hac in parte M. Attilius Regulus, qui promissioni juratae de redeundo in carcerem, ut maximè fuerat injustus, sanctè insistere & citius tormenta ac extrema quæque expectare maluit, quam fidem semel hosti datam temerè violare. Regulus inquit Cicero, non debuit conditiones pactionesque bellicas & hostiles perturbare perjurio. Et quamvis Baldus agnoscat redeundum esse in carcerem, excipit tamen illum causum, si propter crudelitatem hostis captivus timeret mortem. Atqui jam sciverat Regulus etiam tum cum promitteret, quæ sibi barbarus tortor pararat.

(a) Grotius cit. l. (b) Idem lib. 2.c. 13. §. 7.n.2. Vid. Franck. lib. 2.
resolut. 4. & Dn. Werlhof. erudita disser. de pactis liberar.

B 3

Con-

¶ (14) ¶

Gentium n. 36. p. 73. (c) l. bona fides ff. depositi (d) lib. 2. c. e.
 42. dub. 6. n. 27. (e) Grot. lib. 2. c. 13. §. 15. n. 3. (f) Lessius de Justit.
 & Jur. lit. 2. c. 42. dub. 6. n. 28. Sylv. verb. juramentum. 4. qu.
 26. Toleatus lib. 4. c. 22.

§. XII.

Idem, quod de improbitate reservationum mentium ex natura & effectu jurisjurandi interno, obligatione jurantis, hactenus ostendimus, amplius ex ipsis effectu externo dispalescit, qui est praecidere controversias: πάντες ἀισιολογίας περὶ τοῦ θεοῦ βέβαιωσιν ὁ δόγμα, inquit (a) divinus Scriptor ad Hebreos: *Omnis disputationis finis est juramentum rem sanciens: Cui simile illud Dionysii Halicarnas.* πλευτέα δὲ πίστις ἡ πιστίν ἐστιν ἀνθρώποις ἔχει ποτε καὶ βαρόδερμος, ἢν δὲ διεπόποια ἀντιφέση χρήσῃ, οὐ διὰ δόγμαν καὶ στονδαν ἐγγονῆς θεοῦ ποιεύμενη τῶν σὺν αὐθεστων. *Ultima fides inter homines tum Cracos tum barbaros, quam nulla delebit atas, est ea, qua per jurata pacta sponsores addibet Deos.* Sed si jurantibus effet mentalibus restrictionibus uti, expiraret hoc ipso effectus juramenti praecipius, nec ulla amplius humana controversia rite juramento, quod tamen πλευτάκια καταφυγή ultimus in rebus dubiis effugium esse solet, finiri posset. Vedit hoc iterum supra toties laudatus Collegii majoris in Academia Lovaniensi Præses, quando ita differit: *Tertio quoniam non solum in simplicibus assertionibus, sed etiam in jurationibus usum mentalium restrictionum adprobant, Apostolicum illud oraculum penitus evanescit.* Homines per majorem sui jurant, Et omnis controversia corum finis ad confirmationem est juramentum: Nullum quippe inter homines negotium juramento rite finiri poterit, si juranti permitteretur mentali restrictione uti.

(a) Grot. lib. 2. c. 13. §. 13. n. 1. (b) c. 6. 16.

§. XIII.



Denique etiam pugnant hujusmodi restrictiones cum
jure seu libertate judicandi, quam homines colloquentes his,
quibus colloquuntur quasi pacto quodam tacito & ex jure
gentium debere intelliguntur. (a) Cum enim institutus ho-
minum sermo aliaeque similes notæ sint introductæ ad sen-
sa animi sui alteri prodenda, statim quoque illi mutua se
obligatione eo adstrinxisse censentur, ut iisdem ita uteren-
tur, quo exinde possent judicare de mente ac sensu ejus,
quibuscum colloquerentur; id quod cum in aliis v. g. pa-
ctis & conventionibus, tum maxime in juramentis oppi-
do necessarium videbatur. (b) Cum enim interhi actus
per se spectabiles non sint, nisi ex actibus externis eorum
que signis nobis innoteant & tam certi aliquid in ejus-
modi conventionibus & juramentis statuendum erat, cer-
te ne nulla omnino esset obligatio, si quisque sensum,
quem vellet sibi affingendo liberare se posset, ipsa dictan-
te naturali ratione jus est ei, cui juratum aut aliquod pro-
missum, jurantem aut promissorem cogere ad id, quo ver-
ba idque genus similes notæ nos ducunt, cum aliqui res-
exitum non haberet, id quod cum in aliis tum maxime
in moralibus pro impossibili habetur. Sed si ciuitis licet
verba pro suo arbitrio adhibere, & non solum in simplici
sermone, sed etiam in jurejurando restrictionibus men-
talibus aliquaque equivocationibus pro lubitu uti tolleretur
sic judicandi libertas, ita ut alteri de alterius sententia li-
quido constare non posset, eoque inane esset illud notarum
inventum, & mutua illa inter homines obligatio, sermo-
nisque usus plane expiraret.

(a) Pufendorff. de Jur. Nat. & Gent. lib. IV. c. 1. §. 10. Grot. lib. 3.
c. I. §. II. n. I. (b) Idem lib. 2. c. 16. §. I. n. I.

§ XIV.

Atque hoc sufficient in præsentí pro improbitate reser-vationum mentalium adduxisse. Videamus nunc etiam, quibus argumentis se fulciant illarum Patroni. Primum ergo ab illis ipsis hoc tanquam principale adferri solet, quod reservatio mentalis duabus absolvatur orationibus, tanquam partibus eam componentibus, altera externa & aper-te prolata, interna altera & in mente retenta, que si con-junctim spectentur, integrum efficiant & completam enun-ciationem, cui nulla omnino falsitas insit; ut si viator à latrone ad certam pecunia summam jurato pro vita pro-mittendam compulsa, ad latronem diceret: dabo tibi eam, his in mente retentis verbis, si tibi debedo. Audia-mus ea de re magnum restrictionum mentalium Patronum,

(a) Lessum, hic adductis prius quibusdam restrictionum iistarum oppugnatoribus, Soto, Cajetano aliisque, quibus o-ratio illa exterius prolata pro falsa habetur, statim suam addit ēnūçjov: Sed contrarium est probabilibus & tenet Noribus &c. & multi alii v.g. si reus non juridice rogetur, potest dicere, non feci, mente addendo, in carcere; Non-habui complices, puta in alio crimine, &c. Probatur, quia in his & similibus eventis non tenetur homo totam mentem suam circa rem, de qua interrogatur aperire, ergo nec te-netur omnia verba exprimere, quibus ea aperitur, poterit igitur partem exprimere, & pariem tacitus addere. Con-firmatur, quia non magis tenetur totam mentem suam ex-terius declarare coram isto, quam dum solus agit & secum loquitur, cum iste nihil ad hoc juris habeat, sed dum se-cum loquitur non tenetur totum exprimere, sed potest par-tem in animo retinere; ergo etiam cum agit cum illis, ad quorum sententiam non tenetur respondere. Nec obstat, quod illud,

35 (17) 36

illud, quod exprimit, per se sit falsum; quia non intendit per se & solitariè affirmare, sed conjunctum cum eo, quod tacitus addit, cum quo est verum: quod enim exprimitur, solum est pars totius orationis, que constat partim locutione mentali, partim externa. Hæc ille ex mente suorum sociorum.

(a) de Just. & Jur. lib. 2. c. 42. dub. IX. §. 47. p. 626.

§. XV.

Enim vero sicuti oratio propter alios est inventa ad sensa animi sui ipsis manifestanda & non ut sibi quis loqueretur, ita illius veritas & falsitas ex iis solum aestimatur, quæ aperte ad alios proferuntur, eoque absconum est & implicat orationem, quam quis scit & credit esse falsam, exterius & deliberato ad alterum dirigere, ut ipse decipiatur, neque tamen velle significare falsum. Sicuti & illud non minus dictu absurdum est, partem componentem orationis internæ seu mentalis, nec erga alterum significativæ, ut bene hic contra socios suos notat (c) Laymannus, esse partem componentem orationis externæ & erga alterum significativæ.

(a) Pufendorff. de Jur. Nat. & Gent. Lib. IV. c. 1. §. 14.

(b) Theolog. Mor. tom. 2. lib. 4. tr. 3. c. 13. n. 7. p. 85.

§. XVI.

Alterum adversaria sententiae munimentum petitur ex verbis Christi Marc. XIII. v. 32, ubi dicitur: *Filium nescire diem, & horam ultimi judicii, intellige, ut discipulis aut aliis patefaciat.* At enim Christus nulla hic æquivocatione aut reservatione mentali usus fuit, nec diem judicii, quem illi actu ipso secundum humanam naturam non ignorasse contendunt, se scire dissimulavit: cum revera secundum humanam naturam.

C

&



& ut homo est, in statu humiliationis, non autem secundum divinam naturam & ut Deus est, hoc ignoraverit. Oportet igitur cum Cyrillico hic misericordiam Dei verbi admirari, quod non recusaverit propter nos ad tantam humilitatem descendere, ut omnia nostra & ipsam etiam ignorantiam susciperet. Agnovit etiam hoc ex ipsis Pontificiis veritatis convictus (b) fac. Faber Stapulensis: Christus, ait, his verbis naturae assumte infirmitatem respicit antequam in sua immutabilitatis fulgeret gloria.

(a) I. IX. Thesaur. c. 4. (b) in Comment. ad hunc locum.

TH. XVII.

Tertium, quod adferunt, argumentum est desumptum ex Matth. IX. 24. *Ubi Christus de puella mortua dixit, non est mortua, sed intellige respectu sue potestatis & voluntatis.* Sed nulla hic in verbis Christi est æquivocatio, aut Reservatio mentalis, sensusq; illorum verborum ex circumstantiis, non ex reservatione mentali petendus est. Nam quando Christus dixit, dormire eam, non esse mortuam, non hoc innuit, ac si puella ista revera non sit mortua, inque syncope aut deliquio quodam constituta, sed eam significavit puellæ esse conditionem ac statum, qui non mortuorum, sed dormientium mortuorum esse solet. Et quamvis mors docente (a) Chrysostomo, sit ὥντες τέ τοι οὐ καὶ θάνατος, somnus hoc usitato longior, tamen hic peculiare quid indicare voluit. Nam ut singularis hujus puelle aliorumque, qui non ad gloriam sed in mortem, aliam, dicente ita (b) Tertulliano, suscitabantur: ita etiam de morte talium brevi resuscitandorum peculiari modo dicebatur, quod non mors sit sed somnus. Consimili phra-

phrasē & formula eodemque plane singulari sensu, quo
hic, etiam (c) alibi Christus in mox resuscitando Lazaro
usus fuit.

(a) ad h. I. vid. i. Cor. XI. 20. & XV. 20. (b) l. de Resurrect. carnis.

(b) Joh. II. 24. Vid. Calov. in Annot. ad Matth. IX.

§. XVIII.

Quartum argumentum peti solet ex Joh. VII. v. 8. ubi Christus dixit: Ego non ascendam ad festum, qui tamen mox ascendere cogitaverat, utri & ascendit, v. 10. Sed ex contextu manifestum est, quæ sit sententia aut nōens verborum Christi, videlicet non alia quam eorum, quæ habentur Joh. II. 4. ἐπει τὸν ὄντα οὐ μένει. Nam quemadmodum illic nondum horam suam venisse dicit, & tamen mox visa opportunitate temporis, miraculo edendo congrui, præstuit, quæ à matre exigebantur, ita quoque hic egitq; monuitq; tempestivitatē temporum non alii quam sibi notam, eoque pericula jam imminentia sibi sedulo cavenda esse. Non ergo Christus ulla hic æquivocatione utri, sed saltem circumspēcte agere voluit, ne si ante tempus adimpletum cum aliis eo palam ascenderet, concitatos in se jāni animos magis accenderet certissimumque inde vitæ suæ incurreret periculum.

TH. XIX.

Quintum, quod assertur argumentum desumptum est ex Luc. XXIV. 28. Ubi Christus simulabat se longius iterum, qui tamen longius ire non cogitaverat. Sed admونnendi sumus, quod (a) non omnis simulatio in virtute sit, quodque (b) rebus aliis uti liceat, etiamsi prævideamus futurum, ut alter inde falsam concipiatur opinionem; cum in his nobis plena libertas sit relicta, dummodo nullum sequatur inde documentum, aut si quidem sequitur aliquod damnum, modo tamen illud non sit illicitum.

tum. Posterioris simulationis exemplum est in fuga
ficta, qualem (c) Iosua suis præcepit ad expugnandum.
Hajum: Cum nocumentum quod hic sequitur licetum
sit ex belli justitia; Prioris simulationis exemplum est in
eo, (d) qui per totam noctem in cubiculo suo lampadem
discutiendis terroribus nocturnis alit, aut ut lumen
semper in promptu habeat; hic enim non tenetur ad e-
am extingvendam, etiam si vel maxime vicinus credat,
fieri id ob lucubrations. Eodem referri debet simu-
latio Christi, quæ ipse apud comites Emaunitinos ~~negar-~~
~~mitio~~ ire longius, id est simulavit aut speciem præluit
ire longius. Nam talem gestum præ se ferre in cuius-
que arbitrio est, nihilque in vita communi frequentius
est, quam discessum simulare, ut inde nobis liquido con-
stare possit, gratine simus futuri hospites an minus.
Nulla itaque hic Christus reservatione mentali, quæ non
nisi in verbis consistit, sed simulatione solum, quæ in
rebus cernitur, usus fuit, speciem præ se ferendo ire
longius, sub conditione tamen, nisi magno risu retine-
retur: quomodo & D E U S multa velle dicitur quæ non
sunt, intellige, quæ vult voluntate conditionata.

(a) Vid. Institut. Eth. Dn. Præsidis lib. 2. c. 16. §. 19. (b) Grot. lib. 3.
de Jur. B. ac Pac. c. 1. §. 8. n. 2. & 3. (c) Ios. 8. Vid. Sylvester
in voce bellum. (d) Puffendorff de Jur. Nat. & Gent.
lib. 4. c. 1. §. 12.

§. XX.

Equidem adhuc plura alia cumulant argumenta ii, qui do-
cent, quando nam & quatenus licet verba vel facta, in seipſis fal-
sa, sed mentaliter restricta, juramento firmare. Sed quia hacte-
nus allata fuere potiora, ideo reliqua Theologis discutienda re-
linquimus & huic nostra dissertationi colophonem impo-
nimus, Deo debitās persolventes grates,

F I N I S.

Jena, Diss., 1701




f

TA → ÖL
nur 1 + 75 Stück vorhanden



Farbkarte #13



SERTATIO
DE
STATE RESERVA-
M MENTALIVM
VRAMENTIS
27. 1801. 8
PRÆSIDE
VIRO
MO ET EXCELLENTISSIMO
COB. MULLERO,
D. LOG. PROFESSO-
N. FAMIGERATISSIMO
*Præceptore suo multis nominibus
venerando*
Eruditorum examini subjiciet
OR ET RESPONDENS
HEINR. HENTZOLD
Lohma-Thuring.
TORIO PHILOSOPHORVM
D. 19. MART. MDCCI.
NAE, Litteris Müllerianis.